Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1717
Quelle:
Copyright:

emplar latinum recensui *Vol.* I. P. 2. *col.* 2444. ubi etiam Exemplaris germanici inter Codices *mss. Christinae Suec.* in *Vaticana* memini. Praesens ἀνεπιγραφον est, et incipit, ut latinum: *Manigveltigleich in mangerlay weis hat got vnser herr Jesus cristus durch sein ewangelisten czweliffboten lerer vnd Junger* &c. Nomina tamen propria, ut fit, diversimode a latinis abeunt. *Purgatorium Patritii* semper adpellatur *die Weizzen*, quae vox *Wizze*, *Wizzi*, *Weice*, *Wice* jam apud *Keronem* pro *Poena*, *Tormentum* occurrit, neque inter ruricolas *super. Austriae*, dum de adparitione Animarum purgantium sermo est, prorsus exolevit. Ad finem *penult. Cap.* Librum hunc scripsisse dicitur *pruder niclas von der astaw*, sive legas *ascaw*. *Nicolaum Astonum* proferunt Literatores Angli, et congrueret aetas; floruit enim circa a. 1363. Verum is *Frater* non fuit. *Aschavia super. Austriae* Oppidum est.

Anterior Theca praefert Galeam *Trenbachiorum*. Post prius Opus legitur: *Das puechll Ist Herrn Ortholphen von Trenbach ze sand mertten*. Thecae posticae ruditer adpictum est Insigne *Trenbachiorum*, circumdatum aliis 7. videlicet: *Sattelpogen*, *Achdorff*, *Zenger*, *Stabell*, *Aystershaim*, *Sinczendorff* et *Anhanger*, quae Familiae cum *Trenbachiana* connubiis junctae fuere, ut colligi potest e *Genealogiis Austr. super. J. G. Adami L. B. Hohenecki*, nunc vero praeter penultimam omnes extinctae sunt.

DCCXVII.

Codex chartaceus ital. Sec. XVI. Folior. 46. 4. perelegante exaratus inscribitur: *Salmi di Messer Bernardo Tasso*, dicaturque *A la Serenis*ᵃ. *Madama Margherita di Vallois Duchessa di Savoia*, quam *Francisci I. Franciae* Regis filiam *Emm. Philibertus* Dux in toro habebat. Et reipsa Exemplar nostrum illud esse, quod ad *Margaritam* misit Autor, probat cum summus calami nitor, tum Insigne *Sabaudicum* circumfluo Virginis vulgo *Annuntiatae* equestri torque thecae utrinque auro impressum, denique Dicatio ipsa data *Di Venetia. il XV. di Decembre. del. MDLIX.* ad apicem reddita a *Gabr. Giolito*, qui *Psalmos* hos XXX. non e *Davidicis* conversos, sed proprio ingenio *Bernardi* non minore pietatis adfectu, quam linguae metrique cultu elaboratos primus in lucem etulit *Venet.* 1560. 12. cum reliquis *Tassi* Poematiis (*Rime*) in V. Libros divisis, Libroque Hymnorum et Odarum. Unum est, quod Dicationi editae deesse video: *Di V. Altezza Humill. et perpetuo Seruo Il Tasso*; quod, cum a reliqua scriptura differat, ipsius *Bernardi* manum habeo. Psalmi ipsi incipiunt: *Perche sommo Motore In me de l'ira tua gli strali aventi* &c. De eorum Editionibus videri possunt Autores citati R. 1216